



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XVII. Gregorii Papae I. Ad Gratosvm Svbdiaconvm. De
possessionibus Florae abbatisssae reddendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

nostra fieri arbitramur epistola; idcirco presentibus tibi indicamus apicibus, horum latorem Valerianum presbyterum pro redemptione captiuorum in illas partes aduenisse: cui tanto enixius in omnibus debetis ferre solatium, quanto eum mercedis intentione longinqui itineris laborem assumpsisse cognoscitis. Sic enim & hic quod intendit te adiuuante perficiet, & fraternitas tua pro impenso solamine magnam apud Deum, sicut desiderat, retributionem inueniet.

Mense Ianuario, indictione undecima.

EPISTOLA XVII.

GREGORII PAPÆ I.

AD GRATIOSVM SVBDIACONVM.

De possessionibus Floræ abbatissæ reddendis.

Gregorius Gratiofo subdiacono.

Grat. 12. qu.
2. cap. 75.
Anf. libro
5. cap. 32.

RELIGIOSAM vitam eligentibus congrua nos oportet consideratione prospicere, ne cuiusdam necessitatis occasio aut desides faciat, aut robur, quod absit, conuersationis infringat. Idcirco presenti tibi auctoritate præcipimus, quatenus domum positam in hac vrbe, regione quarta, iuxta locum qui appellatur, Ad gallinas albas, vel hortum iuris sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui Deo auctore præsidemus, in qua Campana quondam vxor Patrii mansisse dignoscitur, simul & hortum atque hospitia quæ intra eandem domum ianua concludit, Floræ abbatissæ debeas tradere, proprietatis iure procul dubio possidendam. In qua domo monasterium virginum, vbi cum congregatione sua habitare possit, Christo queat adiuuante construere: vt tam ipsa, quam etiam quæ in eius loco honoreque successerit, prædictam domum & hortum cum omnibus ad se pertinentibus, sicut diximus, quieto inconcussoque iure, a nobis pietatis consideratione concessa, valeat possidere.